

tuorum demonstratus non adducit dicta ex Prophetis, quippe quos illi, ut vulgata fert opinio, repudiabant, sed ex Mose, Mat. 22. v. 31. quem solum recipiebant. Sixt. Senens. lib. 2. Bibl. p. 124. (quamvis verba Josephi lib. 18. antiq. Judaic. c. 2. quod Sadducei nihil quicquam præter legem servandum existimaverint, non Scripturis Prophetis, sed traditionibus Pharisaicis opposita esse videantur, cum nec Epiphanius nec Philastrius in hæres. Sadduc. hujus erroris mentionem faciant) 3. illis, qui de hujus versiculi Canonica autoritate nondum productis vetustissimis & probatissimis exemplaribus necdum autoritate ejus firmiter demonstrata olim dubitarunt, facile ignosci potest, sed qui adhuc hodie non solum de eo dubitant, sed etiam plane supposititium & adulterinum eum esse audacter asserunt & sine quidem eo, ut Anti Trinitariam hæresin liberius propugnent, nec dicti hujus evidentia urgeantur, illorum temeritati & pestilentissimis erroribus merito totis viribus obviam itur. Ignosci potuit (scribit Cyprianus in Epistol. ad Jubajanum pag. 326.) simpliciter erranti, post inspirationem vero & revelationem factam, qui in eo, quod erraverat, perseverat, prudens & sciens sine ignorantia venia peccans presumptione atque obstinatione superatur. 4. Argumenta, quæ pro astruenda Canonica hujus dicti autoritate adducemus, non divisim sed conjunctim sunt sumenda. Ipsimet enim agnoscimus, non esse omnia ejusdem roboris ac ponderis, nec separatim accepta id demonstrare posse, ad quod demonstrandum una cum reliquis adhibentur.

1. ab antiquissimo-  
rum & probatissimorum  
exemplarium testi-  
ficatione.

15. His ita præmissis, producimus argumentorum nostrorum classes. 1. Primam ducimus ab antiquissimorum & probatissimorum exemplarium testificatione. Inter *ὑπογράφων* Scripturæ Canonice interna refertur etiam manus scriptorum, quod videlicet Prophetæ, Evang. listæ & Apostoli Canonica scripta sua manu exarare vel talem illis subscribere consueverint, ut ab Ecclesia, cui tradebantur, ipsis fides haberetur. Sic Lucas cap. 1. v. 3. *Visum est mihi omnia*  
asscch-